10°

✠

Eme, ac Revme Dñe mi Observandissime.

CVM ad aures Sanctissimi Domini Nostri CLEMENTIS PAPÆ XI, plurimæ pervenerint querelæ, fide dignorum testimonio comprobatæ, adversùs eos, qui vbi de mandato Judicum, sive in criminalibus, sive etiam in civilibus capti fuerint, & in carceres conjecti, ad eludendam justitiam, falsò plerumque affirmare solent sese ab Ecclesijs, alijsque locis immunibus, ad quæ confugerant, blandis verbis, vel aliàs dolosè extractos fuisse: dictumque suum perjurio confirmare audent, ac insuper adhibità consanguineorum, vel amicorum suorum operà, falsos testes inducere, & alia non minùs detestabilia patrare non verentur, Quinimò aliquando ipsimet sunt, qui ad effectum liberè vagandi, & forsàn etiam impunè delinquendi, per Baroncellos & Executores, aliosve similes Justitiæ Ministros, data opera, ab Ecclesijs, locisve immunibus prædictis sese extrahi fecerant, ea spe freti, quod interìm Ecclesiasticæ Immunitatis beneficium amittere non deberent. Hinc est, quod Sanctitas Sua graves eiusmodi abusus, quibus justitiæ cursus inhibetur, animarumque salus in discrimen adducitur, pro Pastorali suà sollicitudine, eximioque zelo, e medio tollere, ac radicitùs extirpare cupiens, audito priùs non nullorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, ac Romanæ Curiæ Prælatorum, supèr hac re specialitèr deputatorum consilio, decrevit per organum huius Sacræ Congregationis Immunitati Ecclesiasticæ, & Controversijs Jurisdictionalibus præpositæ, injungi Eminentiæ Vestræ, quemadmodùm per præsentes injungitur, vt publico speciali Edicto, tenoris in adjuncto folio expressi, moneat, denunciet, atque notificet, quod omnes, & singuli cujuscumque status, gradus, & conditionis fuerint, qui actu confugerunt, vel in posterùm confugient ad Ecclesias, seu loca immunia istius Diœcesis, si illorum Immunitate gaudere velint, curent attentè in eis permanere, nec se vllo prætextu, causà, vel quæsito colore seduci sinant ad discedendum ab ijsdem Ecclesijs, seu locis immunibus; vbi etenim extrà illas, seu illa ipsos deprehendi contigat, minimè eis proderit allegare, & probare, quòd fallacibus suasionibus, blandis verbis, assecurationibus, dolosisve machinationibus extracti, seù abducti indè fuerint; Cùm ad occurrendum fraudibus, & abusibus suprà expositis Sanctitas Sua, de præfatorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, ac Prælatorum consilio congruum, ac opportunum duxerit, firmitèr decernere, & statuere, proùt decernit, & statuit, quòd deinceps ij tantùm extrà Ecclesias, & loca immunia, ad quæ confugerant, Ecclesiasticæ Immunitatis beneficio gaudere pergant, qui ab Ecclesijs, & locis immunibus huiusmodi violentèr ex-

extracti fuerint, vel indè discesserint sub fide Salvi Conductus ab aliquo Judice Ordinario, vel delegato concessi, & subscripti, non tamen, nisi ad tempus in eo præfixum, valituri. Jubet insupèr præfatus Sanctissimus Dominus Noster, quòd Eminentia Vestra, eodem publico Edicto, moneat, prout similiter annexà formulà cavetur, omnes, & singulos, si qui fuerint, in istà Diœcesi, qui ante publicationem Edicti huiusmodi re verà blandis verbis, aut aliàs dolosè ab Ecclesijs, alijsve locis immunibus extracti fuerint, vt quatenùs gaudere intendant beneficio Immunitatis eisdem Ecclesijs, & locis debitæ, debeant intrà terminum vnius mensis, à die publicationis eiusdem Edicti computandum, redire ad Ecclesias, vel loca immunia, vndè extracti fuerunt, exposcendo ad hunc effectum, quatenùs opus sit, ab Em. Vestra Salvum Conductum, pro vestris arbitrio, & prudentia limitatum, ac gratis concedendum; Addita insupèr declaratione, quòd si elapso prædicto termino in manus Curiæ inciderint,ità habebuntur, ac si ab ijsdem Ecclesijs, & locis immunibus sponte sua, nullaque prosùs interposita fraude, discessissent, nec eis licebit ampliùs dolosam extractionem allegare. Cæterùm cùm hæc Sanctissimi Domini Nostri provisio non in vestra tantùm, sed & in alijs istius Provinciæ Diœcesibus servari omninò debeat; Sanctitas Sua districtè Eminentiæ Vestræ præcipit, vt hæc omnia, quæ per præsentes E. V. injunguntur, etiàm Episcopis Suffraganeis vestris, alijsque locorum Ordinarijs Eminentiæ Vestræ Metropolitico jure subiectis accuratè significet, & ab eis exactè pariter, ac diligentèr observari curet, & faciat. Placeat igitur Eminentiæ Vestræ ità exequi; dum ego interea eidem humilitèr deosculor manus.

Romæ 19. Januarij 1717.

Eminentiæ Vestræ

Scepio de Riccijs Secr.

Humillimus ac devotissimus famulus
S. A. Cardinalis Tanarius.